



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118472**

§. 33. Bajardi Equitis copiæ a Piscario invasæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

beris Germaniæ urbibus omne commercium intercludi minarentur, nisi præfatum edictum executioni darent. III. Legatus Principes Catholicos inducat, ut Spirenses Conventum impediunt, vel saltem, si id impetrare non poterunt, adversus illum reclament, hocque pacto Sedis Apostolicæ jura tueantur. IV. Idem Legatus ad factam congregandi Concilii petitionem respondeat, quod Sanctitas sua ad illius celebrationem valde prona esset, illud tamen convocare haud posset, quamdiu Principes Christiani bello inter se implicarentur. V. Ad quæstionem de oneribus, quibus Germani se gravatos querebantur, responat, potissimam eorum partem per Lateranense Concilium fuisse sublatam, ac a Papa jussu, ut illius decreta executioni darentur, si vero id nondum sufficeret, Papam huic negotio ante futuri Concilii celebrationem invigilaturum, simulque specialem institutum Congregationem ad id unice deputatam.

## §. XXXIII.

*Baiardi Equitis copiam a Piscario  
invasæ.*

Nec facili labore Pontifici stetit Principum reconciliatio; quippe Carolus adepto Imperii folio virorum utebatur

**Secul. XVI**  
**A.C. 1524**

tur consilio, qui illa ætate animi fortitudine, rerumque gerendarum dextertate longe celeberrimi erant; aliunde Cæsar omnino sibi persuasum habebat, quod imperii sui felicitas haud firmiori fulcro consistere posset, quam si Hispaniæ Regna cum Neapolis Sceptro perfecta concordia unirentur, atque Italiæ Principes lenitate Cæsari devincti in officio continerentur: ut vero hisce consiliis optatus adspiraret eventus, Gallos penitus ex Italia pellere, & Francisco Sfortiæ Ducatus Mediolanensis possessionem firmam reddere, omnino necessarium duxit. Ex adverso Franciscus Galliarum Rex primas eo curas intendit, ut eundem Ducatum recuperaret, ac rursus illas urbes, ex quibus a Cæsareis expulsus fuerat, occuparet. Exercitus illius Rebecchi castra metabatur, atque Equitibus Bajardus Eques, peditibus vero Lorgesius Montgomerius præerat. Alliciebat Cæsareos ad prælii discrimen non modo hostis propinquitas, sed ipsa etiam loci opportunitas, quocirca Bajardus iteratis precibus Bonivetum Admiralem urgebat, ut ab illo de hac statione vel revocaretur, vel saltem suæ copię pari numero, ac agmen ipsius validum esset, nimirum ducentis Lanceariis, ac bis mille peditibus auferentur. Pollicebatur equidem Bonivetus

*Guicc. l. 15.*  
*Vie du Chev.*  
*Bayard. ch.*

64.  
*Mem. du*  
*Bellai.*

vetus hasce suppetias, cum autem Pi-  
 scario a suis exploratoribus nunciatum  
 esset, quod Bajardus adversa valetudi-  
 ne pressus lecto decumberet, quantocius  
 illum intercipere statuit. Adhucdum  
 cœlum albebat, cum jamjam Rebeccanæ  
 urbis portas attingens, milites, qui ex-  
 cubias agebant, primamque stationem  
 vi perrumperet, prius vero septem mil-  
 lia peditum ac quingentos, quos duce-  
 bat, cataphractus tunicas albas super  
 arma sua induere jusserat, ut concubia  
 nocte eo facilius sese a Gallis interno-  
 scerent: unde ea pugna vulgo *antelucana*  
*irruptio* vocabatur. Bajardus ad pri-  
 mos adventantis hostis rumores e lecto  
 suo sese proripuit, ac tremulo febris hor-  
 rore agitatus, quamvis ea die medici-  
 nam sumpsisset, in equum insiliit, at-  
 que post exiguum admodum tempus cum  
 quinque vel sex suis Cataphractis muni-  
 mentum conscendit.

## §. XXXIV.

*Bonivetus Fœderatis resistendo impar,  
 indeque turbatus.*

Accesserant brevi Lorgesius, aliæque  
 Gallorum copię, quibus suffultus  
 tam rara fortitudinis suæ specimina ede-  
 bat Bajardus, ut quaquaversum ferro  
 fugæ viam sibi aperiens, omnes ferme  
 mili-

Sæcul. XVI.  
 A. C. 1524.

Mem. du  
 Bellai l. 2.